



Joh. Frid. Liket.
Halsb. 1750.

Apfhor **A 136**

M. C. v. L

zu OO

von Schafften

34

DISSERTATIO PHILOSOPHICA
DE
IMMORTALITATE
ANIMÆ
EJVSQVE
IMPOSSIBILITATE
ANIHILATIONIS.

AVCTORE
IOHANNE ISAACO SPORON,
S. S. THEOL. CVLT.



Z E L L Æ

TYPIS IOHANN. GEORG. PASSIN.

M, D. C. C. L.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA

DE

IMMORTALITATE

ANIMÆ

DISCVSIO

IMPOSSIBILITATE

ANNIHILATIONIS

AVCTORE

IOHANNI ISAACO SPORON

ALUMNO

UNIVERSITATIS HALLENSENSIS

IN

THEOPHIL. GERICI

M. D. C. C. L.



A SON EXCELLENCE
MONSEIGNEUR
JAQUES FREDERIC
SUSANNET,

MARQUIS DE LA FOREST, GRAND CHAMBELLAN
DE SA MAJESTE LE ROI DE LA GRANDE
BRETAGNE ET ELECTEUR DE BRON-
SVIC-LUNEBOURG &c, &c.

MONSEIGNEUR.

La bienveillance finguliere que *vo-*
TRE EXCELLENCE a pour moi, & l'ac-
cueil gracieux qu'*ELLE* me fait, me font
faifir la prefente occafion, pour *LUI* en-
rendre mes très-humble actions de gra-
ces, par un témoignage public de mon
Zèle

5/

Zèle & de ma reconnoissance. Oferois-
je, *MONSEIGNEUR, VOUS* Offrir ces legères
Feuilles? Le peu de valeur qu'elles
ont, est bien un motif qui me porteroit
à desister de ma première resolution ;
mais la Clémence de *VOTRE EXCELLENCE*
& l'authenticité de la matiere me de-
terminent à les *LUI* dédier & consacrer.

Mon dessein est dans cette Dissert-
ation, de prouver l'immortalité de l'a-
me. J'ai évité avec soin le verbiage, &
je me suis attaché à un raisonnement
sûr, je laisse à *VOTRE EXCELLENCE* la de-
cision, si j'y ai satisfait ou non.

Puis-

Puisse au reste ce chetif ouvrage a-
voir le bonheur, de plaire à *VOTRE EX-*
CELLENCE ! Puisse-t-il, *MONSEIGNEUR*, *VOUS*
perfuader de la parfaite soumission &
du profond respect avec les quels j'ai
l'honneur d'être

MONSEIGNEUR

DE VOTRE EXCELLENCE

Le très-humble, très-obéissant & de vouë
Serveur
J. J. Sporon.



§. I.

Ens quod in me existit, & sibi sui, aliarumque rerum conscium est, dicitur Anima.

Priusquam demonstramus Animæ Immortalitatem, præmittere volumus; Quid sit Anima? Hæc definitio magno usui erit nobis, in nostra demonstratione. Si Ergo demonstramus, quod conscium Animæ competere post mortem, refutaturi sumus *Psychopanychistas* Animam somniare statuentes,

§. II.

Cogitatio est conscientia sui, aliarumque rerum: Verum Anima sibi sui, aliarumque rerum conscia est p. §. I. E. Anima mea cogitationes habet.

§. III.

Cogitationes sunt repræsentationes cum conscientia conjunctæ: Anima vero habet cogitationes per §. 2. Ergo & repræsentationes cum conscientia conjunctas: Ergo repræsentationes.

Animam

Animam habere repræsentationes experientia confirmat. Quidquod? non Anima sibi corpus pro arbitrio repræsentat? Non aliarum rerum a se diversarum pro arbitrio cogitationes & perconsequens repræsentationes habet?

§. IV.

Mutatio status dicitur Actio; Cum vero Anima sibi corpus suum repræsentat, statum suum mutat, toties sibi corpus sub alia forma, aut in alio loco repræsentat: Ergo Anima agit.

§. V.

Nihil sine Ratione sufficiente; Ergo Animæ actiones habent Rationem sufficientem: Verum actionum Rationem sufficientem nominamus cum reliquis Vim: Ergo Anima mea habet Vim.

§. VI.

Ratio actionum sufficiens dicitur Vis p. §. 5, & Anima mea habet Vim p. §. 5. Verum Ens quod Vim habet audit Substantia: Ergo Anima mea est Substantia.

§. VII.

Omnis Substantia est Ens per se subsistens: Ergo non determinatio alterius: Ergo Ens simplex. Anima vero est Substantia p. §. 6: Ergo & Ens simplex.

§. VIII.

Ens simplex non habet partes extra partes: Anima mea vero est Ens simplex p. §. 7: Ergo Anima mea non habet partes extra partes.

§. IX.

§. IX.
Ens quod non habet partes extra partes, non extensum nec Spatium replet. Anima mea est Ens quod non habet partes extra partes p. §. 8 : Ergo Anima mea non extensum, nec spatium replet.

§. X.
Quod vero non extensum, nec spatium replet, illud magnitudinem quantitativam non habet: Anima mea vero non extensum nec spatium replet p. §. 9 : ergo Anima mea magnitudinem quantitativam non habet.

§. XI.
Dividere dicimur Ens, cum imminuimus magnitudinem illius quantitativam; Ergo Divisio est Imminutio magnitudinis quantitativæ.

§. XII.
Ens indivisibile vocamus, cum magnitudinem quantitativam non habet.

§. XIII.
Anima mea est Ens simplex p. §. 7, & non partes extra partes habet p. §. 8. nec extensum nec spatium replet p. §. 9. & magnitudinem quantitativam non habet per §. 10. Verum id quod magnitudinem non habet quantitativam Indivisibile prædicatur per §. 12 : Ergo Anima mea est indivisibilis.

§. XIV.
Non dicimur non destruere Ens cum dividimus illud. Id vero fit per divisionem magnitudinis quantitativæ,

væ, aut quod idem partium : Anima vero magnitudinem non habet quantitativam p. §. 10. & est indivisibilis p. §. 13 : Ergo Anima mea est indestructibilis.

§. XV.

Interitum per divisionem nominamus cum reliquis Corruptionem : Anima mea vero est indivisibilis p. §. 13 & indestructibilis p. §. 14 : Ergo Anima mea per divisionem non interire potest : Ergo Incorruptibilis.

§. XVI.

Ens non mori non dicitur, cum per corruptionem interire potest : Anima mea vero est Ens quod non habet magnitudinem quantitativam p. §. 10, & per consequens indivisibile p. §. 13, & indestructibile p. §. 14, & incorruptibile p. §. 15 : Ergo Anima mea non per corruptionem interire, ergo non mori potest.

Ex his sequitur, Animam a corpore separatam manere eandem, quæ antea fuit. Quam sententiam celeb. & accur. Canzius in libro von der Unsterblichkeit der Seele x. sequenti ratiocinio suffulcit. Sic sonant verba not. c. § 54. „Sie bleibet eine Seele, d. i. eine Menschliche Seele“ Sie müste ihr Wesen oder ihre Wirklichkeit verlieren, wenn sie keine Seele mehr seyn solte. „Will man sagen sie verändert ihr Wesen, so läugnet man die erste Grund-Lehren der Metaphysic. das Wesen eines Dinges ist unveränderlich.“

XVII.

Impossibilitas una cum corpore suo intereundi per corruptionem, dicitur Immortalitas: Verum vidimus
Ani-

Animam non posse per corruptionem interire per §. 16 :
Ergo Animæ meæ per se competit Immortalitas : Ergo
Immortalis. Q. E. D.

Accutissimi Alexandr. Gott. Baumgarten est hæc definitio

§. XVIII.

Anima mea gaudet cogitationibus per §. 2 & distinctis per experientiam. Verum Facultatem distincte cogitandi nominant Philosophi, Intellectum : ergo Anima mea Intellectu gaudet.

§. XIX.

Spiritus est substantia intellectualis : Anima mea est substantia per §. 6, & intellectualis per §. 18 : ergo Anima mea est Spiritus.

§. XX.

Corporis sui Facultas repræsentativa & Animæ Spiritualitas, determinant, statum suum antecedentem & præsentem, seque eundem concipiendi, Facultatem.

Status præsens, rationem suam, in antecedente habet, sufficientem. Ergo status sequens in præsentem. Verum audiamus jamjam laudatissimum Canzium in libro de usu Phil. in Theol. cap. 4 § 197. Fatur, „Præsto est ratio (probat conscientiam Animæ) ut Anima perseveret; Satus enim consequens pendet ex statu antecedente : atqui in statu antecedente erat distinctum Idearum & conscientia fons uberrimus ; cur igitur protinus exaresceret ? Sic Anima sui conscientia post obitum exiit, ut etiam eandem se agnitura sit, quæ antehac fuerit in vita mortali. Consequentes enim fluunt ex antecedentibus.

B. Baumgarteni definitio §. XXI.

§. XXI.

Verum facultas statum suum antecedentem & præsentem, seque eundem concipiendi, dicitur Personalitas.

§. XXII.

Anima mea facultate representativa per §. 3, & Spiritualitate per §. 19 gaudet. Illæ vero sc. Facultas representativa & Spiritualitas, determinabant, statum suum antecedentem & præsentem, seque eundem concipiendi Facultatem per §. 20, & hæcce Facultas dicebatur Personalitas per §. 21; sequitur ergo Animam meam gaudere personalitate.

§. XXIII.

Attributum est affectio, quæ rationem sufficientem habet in Vi & Essentia Entis.

§. XXIV.

Personalitas est Affectio, quæ rationem sufficientem habet in Vi & Essentia Animæ per §§. præced. Ergo Personalitas est Attributum Animæ p. §. 23.

§. XXV.

Attributum Entis est immutabile: Personalitas vero est Attributum Animæ meæ per §. 24. Ergo Personalitas Animæ est immutabilis.

Attributum esse immutabile sic vendicatur: Quicquid in Natura vel in Vi et Essentia Entis existit, per consequens necessario illi competit, dicitur Immutabile; Verum Attributum in Natura vel in Vi et Essentia Entis existit & necessario illi competit; ergo Attributum Entis est immutabile.

§. XXVI.

§. XXVI.

Immutabile aliquid dicitur, cum eodem modo, iisdem qualitatibus existere continuat, & per consequens servat quod antea habuit: Verum Personalitas Animæ meæ est immutabilis per §. 25: ergo Personalitate, Anima, post mortem gaudet, mea: vel quod idem Anima mea servat post mortem Personalitatem, & Spiritualitatem ob eandem rationem.

§. XXVII.

Vivit Ens cum Spiritualitatem & Personalitatem habet: Anima mea vero post mortem Spiritualitatem & Personalitatem habet p §. 26: Ergo Anima mea post mortem vivit. Ergo Immortalis. Q. E. D.

Vivit Anima mea per se & non moritur. Ergo vivere illam oportet; & perennabit Anima, usque Ens superius illam annihilat. Sequentia vero Stabilient, Deum non velle & non posse annihilare Animam.

§. XXVIII.

Duadus ex his demonstrationibus, Animæ meæ per se competere Immortalitatem, patet. Illas ex notione Animæ meæ deduximus. Videamus ergo, an Animæ meæ Immortalitatem ex Attributis Dei non stabilire non queamus?

§. XXIX.

Deum nominamus Ens summum reale.

Non difficile foret, de Deo multas alias definitiones suppeditare, sed cum hæc Attributa omnia in Deo continet, multis aliis non præferre non volumus.

§. XXX.

Nihil sine ratione sufficiente per §. 5. Ergo Deus nihil sine ratione sufficiente patrat. Ratio generalis, vel quod idem, ratio sufficiens propter quam aliquid fit, dicitur Finis: Ergo Deum Finem in creatione habuisse per demonstrata sequitur.

§. XXXI.

Complexus omnium Atributorum in Deo, nominant Theologi Gloriam Dei. Deus habuit finem in creatione per §. 30, & Deus est Ens summum reale per §. 29: Ergo nullis perfectionibus caret; sed omnes omnino in se complectitur: Ergo non Finis fuit, ut augeat perfectiones suas, quod repugnat: Verum Deus Finem habuit: Ergo non alius esse potuit, quam ut patefiat, manifestet perfectiones vel quod idem Atributa sua.

Sacris in litteris eadem docetur veritas. Confer, Rom. I. v. 19.
20. Rom. XI v. 36.

§. XXXII.

Gloriæ manifestatio fuit Dei Finis in creatione per §. 31. In perfectionum suarum, vel Atributorum suorum patefactione consistit Gloriæ Dei manifestatio per §. eundem: Ergo Anima mea, ut Gloria Dei manifestetur, est creata: Ergo perfectiones, vel Atributa Dei, in Anima patefiant, non nemo vult.

§. XXXIII.

§. XXXIII.

Deus dicitur manifestare Gloriam suam, cum Attributa sua creaturis revelat rationalibus.

Ergo Deus manifestat Gloriam suam, cum Animæ, perfectiones suas vel Attributa sua manifestat, meæ. Ergo Anima mea est medium, quo Gloria Dei manifestatur. Quod de Anima asserimus, etiam de aliis Spiritibus asserendum est.

§. XXXIV.

Verum enim vero quis dicat, Gloriam Dei hoc in ævo perfecte manifestari. Nonne experientia docemur, nos plurimum ignorare? Quot mirabilia à nobis non cognita! Quis magna hæc & mirabilia corpora cælestia distincte est intuitus? Quis determinare præcise audeat, quot quot mundos supra se suspensos habet? Quis illorum quantitatem & qualitatem esse perscrutatum, fatur. Quot creaturæ, quot animalia, quot plantæ, quot vegetabilia, & ut uno verbo dicam, quam multa, quorum formam, quorum usum, quorum qualitates ignoramus, existunt! Quod si nos usque ad Ens summum reale attolimus, quam obscuram, quam confusam ideam habemus de perfectionibus, de Attributis suis! Quidquid? non nobis exclaimandum erit cum Gentilium Apostolo: ὁ βίβλος πλούτου καὶ σοφίας καὶ γνώσεως Θεοῦ Rom. XI. ψ. 33.

§. XXXV.

Dei vero Finis in creatione Animæ meæ fuit, ut Gloria manifestetur sua per §. 32. Non vero hoc in mundo Gloria Dei perfecte manifestatur per § 34; Ergo in alio

alio Ergo Anima mea post mortem superstes esse debet,
ut Gloria Dei manifestetur. Q. E. D.

§. XXXVI.

Ex prioribus vidimus, Animam superstitem esse
debere, ut Gloria Dei manifestetur. Ab hisce argumen-
tis ad Immortalitatem Animæ meæ concludere licet.
Sed videamus, ne ex Attributis, ut Bonitate & Justitia,
Immortalitatem Animæ, non vindicare non possumus.

§. XXXVII.

Deus manifestat Gloriam suam, cum perfectiones
suas, vel Attributa sua, creaturis revelat intelligentibus per
§ 33: Bonitas vero atque Justitia sunt Attributa in Deo
essentialia: Ergo Deus manifestat Gloriam suam, cum Bo-
nitatem atque Justitiam, creaturis revelat intelligentibus,

§. XXXVIII.

Nihil sine ratione sufficiente per § 30: Ratio suf-
ficiens dicitur Finis per § eundem: Finis Dei vero est ma-
nifestatio Gloriæ suæ per § 31: Verum Manifestatio Glo-
riæ Dei consistit in patefactione Attributorum suorum
creaturis rationalibus per §. 31: Bonitas atque Justitia
sunt attributa in Deo, & quidem essentialia per § 37: Er-
go Deo, Bonitatem atque Justitiam, Creaturis revelare,
competit.

§. XXXIX.

Bonitas atque Justitia in Deo sunt ita connexæ, ne
illa sine hac concipi queat, & vice versa: Ergo Justitia
sine

fine Bonitate non concipitur : Ergo (ut de Justitia superiorem definitionem) Justitia est Bonitas cum sapientia administrata, & ex hac definitione fluit : Justitiam consistere in τὸ suum cuique tribuendum.

§. XL.

Justitia est Bonitas cum sapientia administrata per § 39: Verum τὸ suum cuique tribuendum ex hac definitione fluere patet per § eundem; Ergo Deo, suum cuique tribuat, competit: Ergo Bonis bonum, Malis malum rependat, interest.

§. XLI.

Nemo dicat, Deum, hoc in mundo Bonis bonum, Malis malum rependere. Contrarium demonstrare non difficile foret. En ! non experientia confirmat, malos sapissime uti vita commoda, divitiis, honoribus & veneratione si loqui sic fas est . Quid, non multi, qui fœx civitatis sunt, prosperant, æstimantur, honorantur? Quot fraudes, quot rapinæ, quot scelera non venditantur pro actionibus permisis, & quam maxime pro jocis! Quidquod! non Deus foret justus? maxime: Ergo Deum, Malis malum, & vice versa, Bonis bonum reddat, oportet.

§. XLII.

Non Deum Bonis bonum, Malis malum rependere hoc in ævo, vidimus per § 41. Ergo in alio per § eundem: Anima mea vero boni malive capax est: Ergo Anima mea superstes esse debet, ut bono aut malo utatur

C

fe-

secundum actiones suas bonas aut malas: Ergo Anima
mea est Immortalis. Q. E. D.

Audiamus hac de materia celeser; atque Erudit: Stapherum
Immortalitatem Animæ sequenti ratiocinio suffulcentem. Fatur.
Tom. 1. p. 194. Inst. Theol. Polem. „Vt verum fatear, hoc ar-
gumentum illud est, quod licet de Animæ meæ Immortalitate
„mibi semper maxime visum fuit, & quod me maxime de hac
„veritate convicit, illud mequidem in Theologia naturali ad hi-
„bitum legisse vel audivisse non memini: Reliqua argumenta
„propterea non contemno, alteri enim unum, alteri alterum
„argumentum magis perspicuum videtur. Ita nimirum ratioci-
„nor, Deum propter semet ipsum mundum hunc condidisse non
„est quod dubitem, Ens enim sibi sufficientissimum non potest
„aliquid querere extra se; quod ergo intendit per omnia stupen-
„da opera? haud dubie sui manifestationem sui Glorificationem?
„sed quibus manifestari debet illa Gloria, à quibus agnosci?
„haud dubie à creaturis intelligentibus, propterea Deus non tan-
„tum Universum plenum corporum inanimatorum stupendae
„magnitudinis condidit, à quibus nec agnosci, nec celebrari po-
„test; Sed etiam creaturas multo nobiliores hisce producit, quæ
„infinitam tum Potentiam, tum Scientiam, tum Sapientiam, tum re-
„liqua summi Creatoris Attributa cognoscerent glorificari entque.
„Quicquid ergo Deus condidit, ideo condidit, ut id Entibus
„ratione præditis quomodo divina Attributa illustret, patefieret;
„& ipsa illa Attributa hoc modo glorificarentur. Deum enim multa
„in hoc rerum Universo condidisse, quæ sibi soli nota esse debere ut
„nec creaturis revelari, præbabile minime est; ad quid enim illa ad
„actum produxisset, cum ipsi jam ab æterno notum fuerit, per Om-
„nipotentiam suam omnia se possibilia, si velit, actu sistere posse: ad
„quid ergo res condidisset, nisi illae creaturis rationalibus notæ esse
„deberent; multa enim hoc modo, absit blasphemia dicto, frustra,
„multa

„multa inutilia condidisset, si non omnia ad manifestationem
 „summæ suæ Gloriæ tenderent; sed quomodo per illa manifesta-
 „retur ipsius Gloria, si creaturas rationales semper laterent.
 „Ast quantum est, quod nunc nescimus! Quam pauca sunt illa
 „quæ nobis in hoc vitæ ævo perspicere licet! Quot naturæ mira-
 „bilia, quot stupenda Creatoris sapientissimi nos latent opera!
 „quam pauca sunt, in quibus rerum nexum nobis penetrare licet.
 „In plurimis sapientissimi mortalium coecutiunt Viæ sapientis re-
 „rum Creatoris, & Gubernatoris in plurimis nobis incognita sunt.
 „Et quis existit, qui omnium rerum ad ultimum finem & ad om-
 „nia divina Attributa relationem penetrare valeat? Et licet ex
 „Revelatione pateat; existere alios, præter homines, Spiritus,
 „quibus hæc omnia nota esse queant; tamen mundus hic subluna-
 „ris, terra hæc, eum in finem condita est, ut ex iis, quæ ibi occurrunt,
 „Incole terræ homines Gloriam Dei agnoscant atque Attributa
 „ejus glorificent; terram enim hominis causa conditam esse quis
 „dubitet? Et quis dubitet, Deum ab ille per sua opera velle a-
 „gnosci & celebrari? Id autem cum in præsentis vita in paucis-
 „simis, imo modo admodum exiguo fiat, quid superest, quam
 „ut, si Deus finem suum vult assequi, fiat in altera vita, ubi Intel-
 „lectus humanus nullis amplius nebulis circumfusus plenissima
 „luce illustratus agnoscat, quanta & quam sapientia sint opera
 „divina, quam admirabilia ejus Attributa in iis patefacta, quam
 „sapienter omnia in ultimum omnium rerum tendant finem; illa
 „etiam quæ Intellectui nostro impercrutabilia fuere, quam diu
 „in mortali hacce degebamus vita: tunc demum Creator in
 „Creaturis suis summe gloriosus fuit. Ad hoc ergo requiritur, ut
 „Anima post corporis Resolutionem non tantum superstes, sed
 „& distincta imolongo distinctiores, quam nunc, Perceptiones
 „habeat, ut status præteriti & præsentis conscia, ut E, immortalis sit.

§. XLIII.

Huc usque vindicavimus Animæ immortalitatem, partim ex Natura aut Essentia ipsius partim ex manifestatione Gloriæ Dei, vel quod idem, ex Attributorum suorum patefactione. Nunc merito quæritur: Deus ne possit anihilare Animam? Sed demonstrare conamur, id manifestationi Gloriæ, Attributis Dei repugnare; & per consequens, Anihilationem Animæ impossibilem esse.

§. XLIV.

Siquis mihi objiciat: Si Anihilatio repugnat Manifestationi Gloriæ, non-Anihilationis possibilitas non minus Dei Omnipotentiae repugnat. Quidquod! Estne Deus omnipotens? Estne omnipotentia in Deo Attributum? Sunt ne omnia illi possibilia? Sed quis non videt, ~~et~~ omnia cum restrictione esse intelligenda; & hæcce Propositio erit justa: Omnia quæ non contradictionem involvunt, vel, quæ perfectionibus Dei non repugnant, Illi sunt possibilia. Verum demonstravimus Immortalitatem Animæ, demonstremus etiam Impossibilitatem Anihilationis.

§. XLV.

A & non A simul sumtum, vel impossibile est idem simul esse & non, Principium primum, atque in demonstrabile, vel principium contradictionis nominatur.

XLV.

§. XLVI.

A & non A simul sumtum est absurdum, contradictorium p. §. 45: Ergo impossibile est, Deum simul posse velle & nolle.

§. XLVII.

Deus est Ens summum reale p. §. 29: Æternitas est realitas: Ergo Deus est æternus: Ergo quicquid Deus vult ab æterno vult: Ergo nolle non potest in posterum quod antea voluit, vel non nolle quod antea non voluit, alias voluntas, vel, actus volendi non esset æternus. Hoc facris in litteris Stabilitur a Paulo 2 Tim. 1. v. 9. 1 Cor. 2 v. 7.

Ratio, cur Æternitas est realitas, patebit ex §. 56.

§. XLVIII.

Quicquid Deus vult ab æterno vult p. §. 47, & velle non potest in posterum quod antea noluit p. §. eundem: Ergo Deum semper idem velle sequitur.

§. XLIX.

Deus semper vult idem p. §. 48: Quicquid vero continuat idem esse quod antea erat, Immutabile dicitur p. §. 26: Atqui *ratio* velle in Deo semper idem, vel quod perinde, Voluntas Dei semper eadem est p. §. 48: Ergo Voluntas Dei est immutabilis.

§. L.

Nihil sine ratione sufficiente p. §. 30, & Deus non potest velle aliquid sine ratione sufficiente p. §. eundem: Ratio vero sufficiens est Finis p. §. eundem: Ergo Deus nihil

934

nihil non nolle potest sine Fine p. s. eundem. Verum voluntas Dei est immutabilis p. §. 30: Ergo & Finis.

LI.

Deus nihil velle potest sine Fine p. §. 50. Finis vero est manifestatio Gloriæ Dei p. §. 31: Ergo pro manifestatione Gloriæ Dei omnia sunt creata. Finis vero est immutabilis p. §. 50; ergo & manifestatio Gloriæ Dei. Quicquid vero est immutabile, est æternum: Manifestatio Gloriæ Dei est immutabilis: ergo & æterna.

LII.

Quam diu Anima continuat existentiam suam, tam diu Dei manifestatur Gloria. Ratio: Gloriæ manifestatio consistit in revelatione, creaturis intelligentibus vel Animæ, Attributorum divinatorum p. §. 37: Atqui manifestatio Gloriæ Dei est æterna: Ergo & Anima mea.

§. LIII.

Quicquid vero æternum, illud est immortale: Verum Anima per demonstrata est æterna; ergo & immortalis. Q. E. D:

§. LIV

Super est ut resoluamus objectionem in §. 44 contentam. Etsi non ignoramus quid valeant humeri, tamen tẽ impossibile Anihilationis non repugnare Omnipotentia Dei, demonstrare conamur.

§. LV

Deus est Ens summum reale p. §. 29: Ergo Deus omnia realia possidet posibilia; sed ex hac definitione impossibilitatem Anihilationis Animæ fluere mox videbimus.

LVI.

§. LVI

Quicquid ponit aliquid, dicitur realitas quicquid vero tollit aliquid, dicitur defectus, negatio: Atqui Anihilatio non ponit sed tollit aliquid: Ergo Anihilatio non est realitas, sed defectus, negatio.

§. LVII.

Negationes vero qua negationes non pertinent ad realia: Ergo si Statuimus, Deo impossibile esse anihilare Animam, non tollimus realitatem sed defectum, negationem p. §. 56: Ergo asertum hoc nostrae non contradicit definitioni, sed vindicat illam.

§. LVIII.

Præterea quis non videt, Animæ Anihilationem involvere apertam contradictionem. Deus est Ens summum reale: Anihilatio vero est defectus, negatio, & per consequens non realitas p. §. 55: Idem vero simul esse & non esse non potest p. §. 44: Ergo, si Deus anihilaret Animam, esset Ens summum reale per definitionem nostram, & non per Anihilationem Animæ, quod implicat, quod repugnat: Ergo si Deus est Ens summum reale, sequitur, illum non posse anihilare Animam. Q. E. D.

§. LIX.

Aliquid dicitur impossibile, cum involvit contradictionem: Atqui Ens summum reale & Anihilatio Animæ; ut & manifestatio Gloriæ Dei & Anihilatio Animæ, in-

involvunt contradictionem p. §§. 57.33: Ergo Anihilatio Animæ est impossibilis, Q. E. D.

Audiamus vero accut, Regis demonstrationem in libro: L'Usage de la Raison & de la Foi, ou l'accord de la Foi & de la Raison pag. 212. § 2. Or je dis que nous ne concevons pas que Dieu puisse détruire l'ame, car il ya de la contradiction à dire que Dieu, dont l'action est éternelle & indivisible aneantisise les substances qu'il a créées, par ce qu'en les anéantisiant, son action seroit & ne seroit pas, tout ensemble. Elle seroit par la supposition, & elle ne seroit pas, par ce que Dieu cesseroit d'agir, ce qui repugne,

§. LX.

Aliquid dicitur absolute necessarium cum oppositum eius involvit contradictionem: Atqui Anihilatio Animæ involvit contradictionem p. §. 58: Ergo non Anihilatio Animæ est absolute necessaria.

TANTUM.



15335
AB 153 258


ULB Halle 3
003 137 260




5b.

R








an

34

DISSERTATIO PHILOSOPHICA
DE
**IMMORTALITATE
ANIMÆ**
EJVSQVE
**IMPOSSIBILITATE
ANIHILATIONIS.**

AVCTORE
IOHANNE ISAACO SPORON,
S. S. THEOL. CVLT.



ZELLÆ
TYPIS IOHANN. GEORG. PASSIN.
M, D. C. C. L.

756

